





1. Antonij f. Pauli / diff. de Libertate  
christiana, Halle 1706.
2. Baumgarthen f. Sujim. Iac. / diff. de  
Christo Homine Obligatione Legum  
Divinarum antecedente et externa  
solito Halle 1742.
3. —————— diff. de Officiorum S. Scripturarum  
naturali et Supernaturali, Halle  
1742.
4. —————— diff. de Vocazione Dei ad  
Salutem, Halle 1742.
5. —————— Examen Miraculi Legionis  
fulminantis, Halle 1740
6. —————— diff. Vindicias textur Graci N. T.  
contra Ioh. Harduinum exhibentem, Halle  
1742.
7. —————— diff. de imputatione peccati Adami,  
tali posteriori facta, Halle 1742.

*Quod Deus bene vertere jubeat!*

29. a

DISPUTATIO I.

qua

INDIFFERENTISMUM  
RELIGIONUM

ab  
Erico Friedlibio, Jcto  
impie defensum

*In celeberrima Wittenbergensi Academia  
ad purum Dei verbum examinant,  
juxta & improbant*

PRAESES  
GOTTLIEB WERNSDORFIVS,  
S. Theol. D. & P.P. Extraord. Collegiique

Philos. Adj.

&  
RESPONDENS

SAMUEL BORNING,

Dorpato - Livonus,


d. VII. Jan. 1651.

---

VITEMBERGAE,

Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typogr.

INDUSTRIE  
ELIGIOM  
GOTTHEITEN  
HAT  
GOTTES  
GOTTHEITEN  
INDUSTRIE  
ELIGIOM



## PROOEMIUM.

**D**rodiit superiore anno Erici Fried-  
libl JCti & O. V. Advocati de In-  
differentismo Religionum libellus,  
in quo variis adductis rationibus  
perivadere studuit Orbi, qvemlibet  
in qualibet religione, dummodo  
Christum utcumqve profiteatur,  
salvari posse. Qvod scriptum uti pestilens est, & ad  
invehendum Epicureismum, & Atheismum, optimi  
cujusqve iudicio, multo aptissimum; ita non parum  
vicem Ecclesiæ nostræ dolui, qvum id publice intaber-  
nis prostare, & manibus studiosæ juventutis teri cognoscerem.  
In primis qvod non deerant, qvi varios ex  
eo conciperent scrupulos, & meam de iisdem senten-  
tiam, ut fieri amicos inter solet, rogarent. Qvapro-  
pter etsi de hoc argumento, & in hac Academia, pau-  
cis abhinc annis, graviter ac erudite disputatum fuisse  
memini, e retamen studiosæ juventutis futurum exi-

A 2

stima-

stimavi, siquidem sacerdotes illas chartas excuterem diligentius, & errores in iis deprehensos publica disputatione notarem. Neque tamen refellere omnia necessarium duxi. Huic enim Augia & stabulo ne Hercules quidem perpurgando sufficeret. Præcipua tantum, & quæ vel proprius ad institutum spectant, vel in primis novandi studium sapiunt, castiganda & refutanda sumpsi. Nolui etiam de inqvirendo auctore curiosius laborare, et si opinionum monstra alias propalata, & dictatoria quasi que furibunda scribendi ratio non nullas suspiciones injiciat: Sed ut obvios quosque numeros, quorum de valore ac pondere dubitamus, suspendere solemus in trutina, examinique subjicere, a quo cuius subseriatique fuerint parum solliciti; Sic mihi satis fuit, res & sententias sub censuram vocasse, quo tandem cumque auctore fuerint evulgatae. Quid hoc ego libenter hoc institutum aggressus sum, quod recto incertoque auctore procul omni suspitione invidiae de rebus oppido gravibus me disputaturum esse conideo. Idque ut feliciter mihi eveniat, Numen æternum ac immortale posco supplex ac veneror!

## S. I.

**R**elicet antem omnibus Indifferentiis defensor terminos fideli & Religionis sibi explicandos & ab ambiguitate liberandos esse existimavit. Quapropter primum obseruat fidem vel esse intellectualem & cerebrinam, vel veram atque in corde ac voluntate.

voluntate sitam Illam a Theologis, quos per contemptum Systematicos & formularios nominat, dici fidem que creditur; hanc fidem qua creditur. Ultramque vero appellandi rationem esse incommodam, nec a simplicioribus Laicis facile percipiendam. Ad illam pertinere Confessiones, Symbola, Catechismos, Systemata: Hanc autem esse veram, in corde sitam, atque a Christianis in S. literis requisitam. Illam non influere in salutem, quem sit ens intellectus, ac in perditissimum quemque, quin & ipsos dia-  
bolos cadat: Hanc vero involvere mutationem carnis in spiritum, dominiumque in peccatum, exerere quoque se se firma in Deum fiducia, & demissa resignatione in voluntatem ac providentiam numinis. Eandem cognosci ex abnegatione sui, amore autem Dei ac proximi, quibus ipsa, seu columnibus, fulciatur. Hinc transitu ad vocem Religionis facta, eandem vel pro una e IV. Cardinalibus, Christiana nimurum, Judaica, Mahomedana, Pagana, vel pro certa quadam harum Cardinalium secta accipi posse docet. Denique applicatis ad institutum vocabulis ostendit, quod cum Indifferentiae ac Libertini, qui sic vocentur, minime omnium doceant, periude esse, seu quis Christianam, seu aliam quamquam religionem profiteatur, seu quis veram & salvificam, seu intellectualem & cerebrinam fidem habeat, quin potius & Christianae religionis, & fidei verae necessitatem summpere com-  
mendent ac urgeant, hinc igitur istos homines videri malos, non esse, nec tantum, quantum existimetur vulgo, ab iis metuendum esse periculum.

§. II. Hæc summa est institutæ de notionibus disputatio-  
nis, qua simul aditum sibi communire studuit adversarius ad incrustandum, ac defendendum Indifferentismum. Nos et-  
si in tanta monstrosissimarum opinionum colluvie unde re-  
futandi initium facere debeamus, incerti sumus, perseque-  
mur tamen hominem per vestigia, memores, in refellendis a-

liorum scriptis iri oportere, non qva eundum fuerat, sed qva itum fuisse ab adversario, deprehenditur. Itaque observamus.

I. *Fidei, in eam qva creditur, & qva creditur, distinctionem, bonam esse, ac in scripturis fundatam, intellectuque facilissimam.* Illa dicitur nonnunquam *Objectiva*, qvia circa eandem actus hominis credentis est occupatus: Hæc *Subjectiva*, qvia est fidei actus, credentiique inest tanquam Subjecto. Et quidem, qvatenus in solo datur intellectu, *historica*, qvatenus in mente ac voluntate simul datur, ab effectu necessario sequente, *justifica* & salvifica salutatur. Fidem, qva creditur, seu *Subjectivam* in Scripturis doceri, & ab hominibus æternam adepturis felicitatem requiri, tum per se patet, tum facile adversarius largitur. Sed & *Objectivo* sensu adhiberi vocem πίστεως a Spiritu S. constat ex *Aet. VI*, 7. qvo multi Sacerdotes dicuntur obedisse τὴν πίστειν; Aliud vero est obedientia τὴν πίστειν præstita, aliud ipsa πίστις cuius συνονόμων eod.v. assertur, ὁ λόγος τῆς θεᾶς. Liquevit idem ex *Aet. XIII*, 8. ubi Elymas Magus Sergium Paulum Proconsulern averttere voluisse dicitur αὐτὸν τῆς πίστεως. Hæc ipsa enim πίστις appellatur λόγος τῆς θεᾶς v. 7. & ὁδός κυρίου v. 10. διδαχὴ τῆς πίστεως v. 12. a fide vero *Cordis & Subjectiva* eodem in capite manifesto distinguitur. Nam circumventus a Mago Sergius, de admittenda doctrina nonnihil dubitavit. Illo autem per miraculum oculis capto, τὸν ιδαῖον τὸ γεγονός, creditit demum, fideiisque concepit. Huc spectat locus *Aet. XVI*, 5. qvo recens ad Christum conversi dicuntur Apostolorum literis confirmati τὴν πίστειν. Sicut enim Pseudo - Apostolorum doctrina, de Lege ceremoniali necessario observanda non parum fuerant confusi peturbatiqve fideles, ita exhibitis, quibus meliora edocebantur, literis, in priore sunt confirmati sententia & stabiliti τὴν πίστειν. Analogia vero τὴς πίστεως, quam S.

lite-

literas interpretaturis tantopere commendat Apostolus Rom. XII, 6. perpetuam doctrinæ consensionem mutuumqve articulorum ad se respectum, ac fidem Objectivam manifeste notat. Eodem significatu sumitur Gal. III, 2. Siqvidem dicitur audita v. 5. & Legi opponitur v. 23. Postremo quando Ephes. IV, 4. & una dicitur fides, & cum baptisnate ceu altero gratiæ offerendæ medio conjungitur, quis neget eam Objectivo sensu, & pro fide, quæ creditur, accipi oportere? Addantur 1. Tim. IV, 1. Tit. I, 13. & alia Scripturæ loca, de qvibus videsis Flacium in Clave, T. V. Marp. Disp. VII. n. 4. nec non Ravanellum in Bibl.

§. III. Habes fundamentum distinctionis fidei, in eam, quæ creditur, & quæ creditur Libertine, erutum ex Scripturis. Qvas cum vel ἀπὸ βρέφεω intelligi posse Apostolus doceat 2. Tim. III, 15. quid opus erat tali eam scommate fugillare: Die sen Glauben nennen die formul Theologi fides quæ creditur, welches aber solche schöne Benennungen sind/ die einen einfältigen Layen zu begreissen / gar zu schwer fallen. Certe quisquis, pro eo ac debet, inspicere scripturas, & scrutari voluerit, ei non crediderim opus esse, ut alibi loquitur B. Hulsemannus, tubo optico ad povidendum. Nos observamus

2. Crassissimum ab Indifferentista errorem commissum esse, quando fidem in cerebro ac intellectu residentem, ac ei, quæ est in corde ac voluntate, contradistinctam formaliter eandem esse putat cum fide quæ creditur, perpetuoqve confundit. Aliud enim est fides in intellectu ac mente, aliud est fidei illius materia circa quam & Objectum. Qvod utrumqve licet in Scripturis dicatur fides, ut supra ostendimus, in se tamen sunt distinctissima. Fides quæ creditur non est ipsa fides intellectualis & cerebrina, sed fidei intellectualis Objectum, h.e. illa doctrina, sive articulorum capitumqve complexus circa quæ occupatur. Fides autem, quæ datur in intellectu, eandem illam doctri-

## (8.)

doctrinam vel apprehendit ac concipit per notitiam, vel comprobat per assensum. Aliud autem est cognitio approbatioque doctrinæ, aliud ipsa doctrina cognita & probata. Fides quæ creditur dat posterius; quæ creditur, prius. Illa ad subjectivam; hæc Objectivam pertinet. Quæ ipsa cum in nullis non Theologorum compendiis moneantur, & vel tyronibus S. literarum constent, miror Indifferentiam errorem adeo absurdum toties committere potuisse.

§. IV. Ceterum uti fidem in intellectu & subjectivam cum fide quæ creditur seu Objectiva perpetuo confundit, sic de ultraque auctoriter pronuntiat *non esse salvificam*. Nos utriq[ue] occurremus errori, & posteaquam fidem quæ creditur ad Objectivam, fidem autem intellectualem & cerebrinam ad Subjectivam pertinere docuimus, utramque suo modo concurrere ad salutem propitio Numine ostendemus. Et qvidem qvod ad fidem quæ creditur, seu doctrinam de rebus divinis, attinet, eandem, dummodo principio suo, hoc est divinæ revelationi conformis sit, omnino esse salvificam, saltem *actu primo atque potentia*, præente scriptura statuimus. Etenim 1.) placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes i. Cor. I, 21. adeoque doctrina & fides quæ creditur, est medium divinitus ordinatum concipiendæ fidei in Christum, & hujus interventu recuperandæ salutis. Rom. X, 10. 17. Marc. XVI, 16. Hinc dicitur continere *omne consilium Dei de nostra salute act.* XX, 27. qvod quia contumaciter spernabant Judæi seipso *indignos faciebant vita eterna c. XIII, 40.* Ob hanc divinam ordinationem 2.) auditus verbi divini & avidior doctrinæ admis-sio illud *unum est necessarium*, qvod in Maria laudavit, Marthæque commendavit Servator, tanquam ob aeternæ salutis ex ea redundantem fructum ceteris omnibus occupationibus, doctrinis ac studiis anteferendum Luc. X, 42. Eadem de causa (3.)

sa (3.) **Salus** dicebatur *esse ex Iudeis* Jo. IV, 22. non solum ob  
 Dei filium oriundum ex semine Davidis, qui appellatur σωτήριος  
 Luc. II, 30. III, 6. Rom. I, 4. IX, 4. sed etiam, quod recte obser-  
 vat Chemnitius, ad hunc locum, ob concredita ipsis τὰ λόγια τῆς θεοῦ  
 Rom. III, 2. Veramque ab iis petendam communicandamque do-  
 ctrinam. Igitur quantumcunque ambitione cultum Deo exhibi-  
 terent in monte Garrizim Samaritani, quantumcunque etiam  
 veritatis persuationem haberent c. 12. utcunque etiam de fun-  
 damento suæ salutis essent solliciti v. 19. tamen ob veræ doctri-  
 nae defectum ex eaque oriundos vitiosos de Deo divinisque  
 rebus conceptus ignorare dicuntur *quid adorent* v. 22. Ex  
 quo uti recte Nisanus Comment. in b.l. p. 262. colligit, summa-  
 dari necessitatem credendi mysterii SS. Trinitatis, cum Deus  
 eo quo se se revelavit modo in Scripturis, cognosci colique  
 ab hominibus cupiat, sic patet quam bene a Libertino sit scri-  
 ptum §. 8. Wenn ein Gläubiger in dem etwanigen Begriff von  
 von dem unbegreiflichen Wesen Gottes eine unterschiedene Meis-  
 tung hat, hasst oder verdammnet er doch den andern nicht / weil  
 hierin der wahre Glaube nicht besteht sc. Porro fidem qvæ  
 creditur concurrere ad salutem 4.) demonstramus ex eo, quod  
 ministri verbi, respectu propositæ a se doctrinæ salvant homi-  
 nes. Quod sibi manifesto tribuit Apostolus Rom. XI, 14. pro vo-  
 co ad emulandum fratres meos, ἵνα τώτω των εξ αὐτῶν. Idem-  
 que promittit Timotheo: Attende Tibi ipsi & doctrina: hoc e-  
 nim si feceris, Te ipsum salvabis & omnes qui te audiunt. 1. Tim.  
 IV, 16. Itaque Presbyteros qui bene præsunt, duplo honore  
 jubet respicere Apostolus, illosque in primis qui laborant in  
 verbo & doctrina, quoniam pro communicato salutis recupe-  
 randæ medio vix dignum exhiberi redhominatum potest. 1.  
 Tim. V, 17. E contrario autem s.) falsi doctores & Prophetæ  
 vitandi sunt Matth. VII, 15. tanquam λύκοι ἀπάρτεις καὶ βερπεῖς,

Act. XX, 29. nempe ob hæreses τῆς ἀπωλείας qvæ fovent 2. Pet. II, 1. qvas dum instillant simplicioribus reddunt eos gehennæ filios Matth. XXIII, 15. Jam igitur uti doctrina hæretica & falsa, perdit homines ac damnat, saltem ὄργανος ; sic veram, suoqve principio conformem doctrinam , in qvo tandem cunque subjecto detur, esse salvificam, æternæqve felicitatis causam recte concluditur. 6.) Qvod si fides qvæ creditur non salvat, perinde fuerit, qvos tandem qvisqve conceptus de rebus sacris atqve divinis foveat. Ast vetat Apostolus εἰπεοδίδα σκαλεῖν I. Tim. I, 3. commendatqve Timotheo propagationem purioris doctrinæ 2. Tim. I, 13. & jubet τύπον seu formam custodi-  
 re τῶν ὑγιαινόντων λόγων, h. e. eorum, qvi vitam hominum spi-  
 ritualem conservant, ac manere in iis, qvæ a se didicerit 2. Tim.  
 II, 2. c. III, 14. Jam porro Episcopus deberet esse ἀντεχόμενος τῷ  
 κατὰ τὴν διδαχὴν πιστῷ λόγῳ Tit. I, 9. & inter boni Pastoris requi-  
 sita ponitur ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίᾳ, σεμνότης καὶ ἀφθασίᾳ,  
 una cum λόγῳ ὑγιῆ αἰναταγνώστῳ Tit. II, 7. 8. Qvæ qvidem ut  
 conserventur idonee postulat ab Episcopo Paulus, ut potens  
 sit τῷ ἐλέγχειν τῷ ἀντιλέγοντας Tit. I, 9. ac necessarium judicat  
 hæreticos, ac speciatim falsos Apostolos, qvos tamen inprimis in doctrina de Lege ceremoniali errasse legimus, com-  
 pellere ad silentium, & solide refutare. Jubet etiam ἀποτό-  
 μως ἐλέγχειν h. e. acriter ac rotunde refellere, qvo depositis er-  
 roribus sani fiant in fide , maxime illa qvæ creditur, utpote  
 quam διδάσκοντες ἀπὸ τοῦ Θεοῦ corruperant Tit. I, 9. Qvibus qvidem  
 gravissimis Pauli monitionibus nihil suis est opus si qvidem nec a vera doctrina *salus* speranda, nec a *falsa* exitium  
 metuendum esset hominibus. 7.) Quid qvod ipse malus ge-  
 nius & Spiritus Pythonis in serva Philippensi agnovid doctrinam , seu fidem qvæ creditur, esse salutarem. Subsecuta e-  
 nim Paulum collegasqve clamabat: *Hi homines servi sunt De-*  
 excel-

*excelsissimi qui vobis ὁδὸν τῆς σωτηρίας h. e. doctrinam salutarem* (conf. omnino *Act. XIII*, ubi λόγος τῇ Θεῷ v. 7. πίστις v. 8 ὁδὸς κυρίου εὐθέᾳ v. 10. & διδάχὴ τῷ κυρίῳ v. 12. invicem permuntantur,) annuntiant. Negat hoc Indifferentista §. 8. Dieser Glaube invit, fides nimirum quæ creditur, macht nicht selig. Et §. 12. Gesetzt dasseine Secte durchaus die Wahrheit hätte/ weil NB. solche Wahrheit der Sätze dennoch keinen selig macht/ sondern ein Gehirn-Glaube bleibt/ so ist re. Dum ergo negat illud, cuius veritatem Spiritus Pythonis admisit ipso se cacodæmone detriorem ostendit.

§. V. Taceo quæ ex hoc opinionis monstro innumera fere progenerantur absurdia, utpote, *Christianam religionem inter, & superstitiones aliorum, nullum discrimen fore: nihil opus fuisse s. litteris, nihil praconio Evangelii, nihil instituto ministerio.* Me ipsum enim tantum non pœnitet hujus operæ, quæ inaudito antea exemplo mihi adversus hominem professione Christianum intra orbem Christianum probandum est, *doctrinam verbo Dei conformem concurrere ad salutem.* Qvapropter nil addo amplius: Qvin id potius probo, fidem intellectualem etiam subjectivæ spectatam esse salvificam. Qvod anteqvam fiat, paucis videndum est, quæ ratione descriperit fidem quæ creditur, seu subjectivam. In quo ipso adeo imperite ac parum considerate versatus est, ut ipse etiam fateatur §. II. ad Systematicæ Theologiae auxiliis sese non accessisse.

§. VI. Primo enim peccatum in eo fuit, qvod fidem salvificam, ita in corde ac voluntate collocat, ut tantum non a mente ac intellectu excludat. Hæc etenim tribus seu partibus, seu gradibus, continetur: *Notitia, assensu, fiducia.* Notitiam quidem, fidei ipsius, qvoad effectum salutarem, per γνῶστον & ἐπίγνωστον *Jes. LIII, 11. Jo. XVII, 3. Luc. I, 77. Col. I, 9. Tit. I, 1. 2. Pet. I, 5. νόηστον Ebr. XI, 3. σύνεστον, Matth. XIII, 19.* descriptio: fi-

delium constitutio, & notitiae suæ testificatio *Job. XIX, 15.*  
*Matth. XIII, 23. Jo. IV, 22. Gal. IV, 9. 2. Tim. I, 12.* ignorantia, cœcitatibus, stultitia & tenebrarum oppositio *Act. XVII, 23. 30. Luc. XXIV, 25. Rom. X, 19. XI, 25. Eph. IV, 18. Jes. IX, 1. Luc. I, 79. Jo. I, 5.* satis evincunt. Quid? quod nec assensus in mente, nec fiducia in corde ferri potest in Objectum ignotum, qvippe cuius, affirmante Poeta, nulla cupido est. Itaque *Jo. IX, 36.* cœcus post recuperatam a Christo videndi facultatem interrogatus, num crederet in filium Dei? respondit: *quis est Domine ut credam in eum?* Requiritur ergo Notitia. Sed & assensum adesse oportere probatur, qvia intellectus nosse multa & apprehendere potest, utpote traditiones, purgatorium, indulgentias &c. qvæ tamen iudicio suo nunquam approbat tanquam vera. Atque hic assensus etiamsi fertur in totam illam doctrinam, qvam SS. instinctu professi sunt memoriæqve prodiderunt Prophetæ ac Apostoli, tamen, sicut ultimus finis totius Scripturæ est Christus in officio redemptionis spectatus, ita fides sic assentitur verbo Dei in solidum, ut intentis defixisque semper oculis respiciat promissionem gratie repositam in Evangelio, & omnes doctrinæ coelestis partes ad hanc promissionem referat. Hinc tertio loco fiducia sequitur h. e. motus in voluntate & corde, qvo homo in satisfactione per Christum præfita, & parta per eandem justitia svavissime acqviscit. His tribus seu partibus seu gradibus absolvitur fides *Subjectiva*, seu illa *quæreditur*. E qvibus cum priores duo ad *intellectum* ac mentem: Posterior ad cor & voluntatem pertineat, patet, errasse graviter adversarium, qvando eam in solo corde ac voluntate qvæsivit ac posuit. Vid. B. *Lyseri Systema* pag. 2494. *Calov. in Syn. p. 458. T. V. disp. Marp. diff. VII. §. 8. Gerb. de Justif. n. 63. seqv.* Non magis 2.) commode descripta fides fuit per mutationem carnis in Spiritum: vel nature peccaminis

sa in

*se in meliorem.* Der wahre Glaube/ der im Herzen seinen Sitz  
hat/ ist eine Veränderung der sündlichen Natur in das geistliche  
Wesen/ indem der wiedergebohrne Mensch über seine sündliche  
affection die Herrschaft empfänget scilicet. Hæc enim formula uti  
nescio quam naturæ humanæ μεταμόρφωσις e puridis fanatico-  
rum lacunis petitam redolet; (Vid. Weigel. P. I. Post. p. 39. &  
62. P. II. p. 29. & 112. it. Dial. p. 13.) Sic S. literis manifesto re-  
pugnat, qvibus non docetur carnem mutari in Spiritum, sed  
per hunc solum mortificari ac reprimi Gal. V, 24. 1. Job. V, 4.  
qvo pertinet totum Cap. VI. Epist. ad Rom. Vid. omnino Gerb.  
Disp. Acad. P. II. p. 859. seqq. Male præterea 3.) tum hic, tum alias  
partim per mutationem cordis ac voluntatis, partim per statum  
gratia describit Libertinus fidem. Mutationem enim cordis  
mox explicat per dominium in affectus motusque inordinatos  
qvos vocant. Atqvi Fides medium est hujusmodi mutationis  
non mutatio ipsa. Nam qvi Christi sunt crucifigunt carnem  
suam cum concupiscentiis Gal. V, 24. Christo autem inseri-  
mur per fidem Phil. III, 9. In hac igitur subministramus vir-  
tutem scientiam, εὐηγέτειαν, ἵπομονὴν ἐνσέβειαν, Φιλαδέλφιαν  
2. Pet. I, 5. 6. 7. Ergo refrenatio affectuum, dominiumque in pec-  
cata sequitur, non constituit, fidem: effectus est fidei non for-  
ma. Perinde ut in Saule Israelitarum Rege unctio medium e-  
rat alterandi cordis, non alteratio ipsa 1. Sam. X, 9.

S. VII. Idem error committitur, qvando §. n. fidem nihil esse  
aliud dicit quam statum gratiae: Kurz/ der Glaube ist nichts an-  
ders als der Stand der Gnaden/ die gänzliche Veränderung des  
menschl. Herzens oder des Willens. Nam hæc denuo differunt  
ut *finis* & *medium*, *antecedens* & *consequens*. Qvicquid enim in-  
volvitur in statu gratiae id homini salvando conciliatur per fidem.  
Neq; vero hic consistit in agnitione miseriae naturalis & affectu-  
um vehementiae, qvod Libertinus putat. Hæc enim primo statum

*tia non constituit, sed hominem ad eum acquirendum utcunque disponit.* Tum vero non sufficit, de cordis voluntatis que vitiis doluisse: *intellexus quoque sunt agnoscendi errores.* Postremo agnitus talis ad contritionem, fidei contradistinctam, non fidem ipsam, pertinet. Itaque *status gratiae* justificationem fidemque sequitur, & consistit in accepta remissione peccatorum, sublatione reatus ac irae, gratiosa inhabitacione Spiritus Sancti, & pace conscientiae. Qvæ tamen omnia nobis sunt applicanda per fidem. Deus enim nos sibi gratiosos reddidit in dilectione Eph. I, 6. In eo qui sunt, in iis nihil est condemnationis, ἀλέαντα Rom. V, 1. Jam sumus Dei filii, sed dia τῆς πίστεως Gal. III, 26. Jo. I, 9. sumus domicilia Spiritus S. sed dia τῆς πίστεως Eph. III, 17. Servamur ab ira Dei, sed δικαιοθέντες τῷ άμαρτίᾳ ἵντε Rom. V, 9. 17. sumus vase gloriae Dei, sed ωζονταπιστότες εἰς χριστὸν Eph. I, 12. 13. Ergo fides medium est pervenienti ad gratiam, non ipse *status gratiae*.

Amplius 4.) fidem esse exercere firma in Deum fiducia, quacunque occasione, rectissime affirmatur. Habemus enim πάροδίαν & aditum ad Deum εν πεποιθήσει Eph. III, 12. conf. I. Tim. III, 13. Matth. IX, 22. At vero haec fiducia est actus fidei justificantis effectivus, siquidem est πεποιθησις dia τῆς πίστεως τῇ χριστῷ I. c. adeoque ab ipsa fide formaliter distinctus. Neque enim possumus divinum sperare auxilium, aut preces nostras exauditumiri confidere, nisi antea certi simus, nos esse receptos ingratiam, Deique filios, quod sit per fidem Jo. III, 16. Rom. V, 1. Gal. II, 26. Jac. II, 5. Itaque præmittenda fuerat mentio fiduciae illius, qvæ tanquam diaφορα εἰδοποιὶς intrinsece constituit fidem, ac immediate fertur in promissionem de gratia Dei in Christo Jesu, Eph. II, 8. 13. 14. Cujus meritum uti primarium ac speciale fidei salvificæ est Objectum, (siquidem credendum esse dicitur in filium Dei exaltatum pro nobis Jo. III, 14. in sanguinem

nem ejus. Rom. III, 25, in Jesum ob peccata nostra traditum Rom. IV, 25. in Christum, qva nos dileyit, seqve pro nobis tradidit Gal. II, 2. qva redemit nos ab execratione legis Gal. III, 13. 14. Confer. 1. Tim. I, 25. 1. Jo. I, 7.; ita sine hoc describere fidem velle, est Solem sine luce & animans sive vita concipere. Qvicquid itaque utilitatis & commodi ex fide redundat ad hominem, id omne Objecto ejus & correlato debetur. Receptio Christi in Evangelio, (ut ad Ephes. III, 12. B. Balduinus, f.m. 806. commentatur) est proprietas fidei essentialis, imo ipsa anima fidei. Fides enim sine receptione Christi nihil est. Hanc igitur quisquis in describenda Fide contemnit ac præterit, is vel hoc uno prodit parum sese præsidii collocare in Christo Jesu, ac tantum non totam fidem cum Socinistis ex Evangelica facere legalem. Qvod cur de adversario suspicer causas habeo, & vel hæc una me mouet ratio, qvod supra dixerat fidem salvificam esse mutationem cordis, consistentem in excusione servitutis affectuum & peccati. Hæc enim non ab Evangelio sed lege requiri certissimum est. Qvicquid autem a lege requiritur id opponitur officio & natura fidei iustificantis, Rom. III, 28. c. IV, 5. c. X, 5. 6. Gal. II, 16. III, 10. 12. verba sunt B. Hülfsem. in Brev. c. XI, p. 37,

§. VIII. Neque vero corrigitur, sed aggravatur error, quando §. 11. fidem descripturus fiduciæ quidem in Deum & meriti Jesu Christi aliquam injicit mentionem, sic tamen, ut qvicquid hominis perfectioni defit, hujus beneficio supplendum esse existimet. Man solle Gott vertrauen / daß er was den Menschen noch an Vollkommenheit mangelt/ aus Christi Verdienst ersehen werde. Qvo ipso nescio an qvicquam contumeliosius in satisfactionem sanctissimi servatoris dici potuerit. Adeone enim sanguis Jesu Christi, Filii Dei, repurgans nos ab omni peccato eviluit, ut inter perfectionis humanæ, si qva datur, supple-

Plementa referri queruerit? Hoc vero est ἐπιθλημα ιματίου ἐπιβάλλειν ἐστιν ιατρού παλαιόν Luc. V, 36. Omnis enim justitia nostra est instar panni detriti ac menstruati Jes. LX. V, 65. Cui quisquis alienam assuere sustinet, is non sancit σχίσμα sed deteriorius reddit Matth. X, 16. Non corrigenda per alienam nostram est justitia, sed tollenda & removenda, nimirum per justitiam Jesu Christi, qui solus calcavit torcular irae divinae Jes. LXII, 3. Hujus unius obedientia constituumur justi. Rom. V, 18. 19. Et quemadmodum Christus non ex parte, sed toto pro nobis factus fuit peccatum, ob imputationem omnium: sic etiam non ex parte, sed toto reddimur in ipso justitia 2. Cor. V, 21. Unica enim oblatione τετελείωσε perfectam redemptionem & justitiam peperit, omnibus qui sanctificantur Hebr. X, 14. Unde & moribundus proclamabat in cruce: τετέλεσαι Jo. XIX, 30. qvo doceret se esse τέλος τῶν νόμων qui compendiose omne ac totum solverit, quicquid lex ad perfectam impletionem posiebat, interprete B. Wellerio ad Rom. X, 4. p. 584. Itaque non supplementum est aut ἐπιθλημα, sed ὑπερβάλλεσσα καὶ ὑπερπερισσεύσσα justitia Jesu Christi Matth. V, 20. Rom. V, 20. 2. Cor. XI, 14. Interim (s.) nescio qui cum superiore Libertini sententia, qva fidem in mutatione cordis, & dominio affectuum consistere affirmavit, conciliari possit qvod §. 7. immediate subjungit, nempe fidem ex amore Dei & proximi, suig. adeo abnegatione cognosci. Nam nisi me fallunt omnia hæc ipsa cum mutatione cordis & excussione servitutis peccati coincidunt. Qvomodo igitur nota fidei est forma? Incommoda quoque & plena offensionis loqvendi ratio est, quando charitatem & abnegationem sui appellat fidei salvis & fundamenta, & fulra, qvibus eadem innititur. Non enim ut fulra machinam, sic opera fidem sustentant. Hæc enim adversus tentationes carnis, Satanæ, mundi ac inferorum est retinenda, qvibus domandis nullæ chari-

charitatis vires sufficiunt. *Virtute Dei custodimur per fidem ad salutem 2. Pet. I, 21.* Nec est in alio quodam salus præterquam in nomine Jesu Act. IV, 12. Hic ἀρχηγὸς est καὶ τελεωτὴς πίστεως Ebr. XII, 2. *Quique inchoavit bonum fideiopus, idem & perficit Phil. I, 6.* Falsum itaque est amore Dei & proximi, odio contemptuque sui fulciri fidem. Nota hæc sunt fidei, non fundamentum, non forma. Fundamentum fidei, est vera fidei causa, teste Hunnio in Διασκ. p. 83. Pugnat igitur charitate fidem fundari, eademque charitate fidem cognosci.

§. VIII. Vidimus male descriptam, male in sola voluntate quæsitam fuisse fidem. Contrà eandem, cœu ens per aggregationem, non modo involuntate & corde, sed etiam in mente ac intellectu ponendam esse docuimus. Restat ut exequamur illud quod supra promisimus, ac fidem etiam quatenus datur in intellectu, concurrere ad recuperandam homini salutem ostendamus. Negat hoc Libertinus, & tanto quidem studio negat, ut nihil æque timuisse videatur, quam ne non satis opinionem illam lectoribus inculcarit. Neque tamen hic quicquam dicitur quod non vel ab ipso, vel ipsius saltem magistro dictum sit prius, & cum ab aliis, tum a nobis in *de auctoritate LL. Symb.* dissertatione refutatum abunde, ut mirum videri possit, homines absurdissimi erroris non tandem aliquando pudere. Urgetur denuo: *Fidem intellectualem cadere in diabulos, cadere in reprobos: utrosque tamen damnari.* Nullius etiam conceptus in intellectu tantam vim esse, ut in productionem salutis posse influere. Sed responderetur ad prium, ingens intercedere discrimen inter fidem intellectualem quæ datur in *diabolis*, & eam, quæ datur in *hominibus reprobis*. Primo enim a.) diabolorum notitia furtim quasi surrepta fuit ex revelato Dei verbo, quippe quod non in eorum sed miserorum *hominum* gratiam est literis consignatum. β.) Diabolorum notitia & assensus non occupantur circa meri-

tum Christi tanquam sibi partum, & ad se pertinens bonum: nusquam enim angelos sed semen Abrabe assumpit Hebr. II, 14. Qvapropter cum nulla iis recuperandæ salutis spes sit super, palam est, qvod quantamcunqve habeant vel natura, vel ex revelatione rerum divinarum notitiam, nulli illis usi esse queat. Recte B. Lyser. in Syst. pag. 4. Quamvis mysteria cognoscat diabolus, tamen non per gratiam revelatam ea cognoscit. Hinc intellectus ejus non illuminatur, sed depravatur. Postremo e.) etiamsi vera de Deo rebusque divinis multa naturali mentis perspicacia cognoscat diabolus, & tamen vera esse non patitur Spiritus mendacii, adeoque conceptus ex verbo haustos affectata quadam malitia polluit, & nunc addendo, nunc detrahendo qvid piam, haustum ex revelatione & experientia notitiam corruptit Vid. Calov. System. T. IV. c. 3. p. 325. At enim vero notitia hominis etiam irregeniti iure qvadam petitur ex Scripturis; Adhaec in se & sua natura, atque ex ordinatione divina vim habet omnium hominum adjuvandi salutem: Denique a nobis cognitio illa principio suo h.e. divinæ revelationi exesse conformis supponitur. Male igitur a notitia dæmonis, qva virtutem salvandi, ad notitiam hominis impii est conclusum. Ad Judæ proditoris exemplum, idem respondemus, qvod Ebræis qvarentibus: cur λόγος τῆς ἀιώνος nihil profuisset eorum majoribus? respondit Apostolus. Némpe, qvia non fuerit συγκεντρωένος τῷ πίστεi τῷδε αἰσθατῶν Ebr. IV, 2. Quem ad locum eleganter monet suo in Coment. Seb. Schmidius: Notandum est, qvod Apostolus non dicat, λόγον τῆς ἀιώνος non commixtum fide non esse efficacem in se; sed non profuisse iis, qui eum audierant. Quemadmodum itaque medicamentum cegium, quando ab agro non rite applicatur, non propterea in se est inefficax, etiamsi agro non prospicit: Ita verbum quoque evangeli, quando non rite auditur, nec fide commiscetur, non prodest

qvi-

*quidem, non tamen sicut in se inefficax.* Quæ de Evangelio dixit B. Schmidius eadem de conceptibus orthodoxis, ex verbo haustis statuimus. Non prosum nempe, quia non commiscetur cum fide: Interim in se non desinunt esse efficaces & salutares. Et quemadmodum *meritum Christi* non desinit esse *salvificum*, quia sine *applicatione* nil prodest Rom. XIV, 15. 1. Cor. VIII, 19. 2. Pet. II, 1. Ebr. X, 28. Fiducia quoque cordis non desinit esse *salvifica*, quia sine *finali perseverantia* nil prodest, Matth. X, 22. XXIV, 13. Ebr. III, 14. Apoc. II, 10. Ita etiam *notitia* non desinit esse *salvifica*, etiam si absque subsecuta cordis *fiducia*- & voluntatis mutatione prodesse nequit. Qvod ad tertium attinet, vellem ostenderetur ex scripturis, *nihil esse salvificum quod datur in intellectu*. Prodigiosa hæc vox est, a Patre mendacii mutuo sumpta, & hoc dum in Christianis cœtibus inaudita. Notitiam esse in intellectu quis neget? Et tamen *hæc est vita æterna, ut cognoscamus Deum ac Patrem Domini nostri J. C. Jo. XVII, 3*, non solum aliquo modo formaliter 1. Cor. XIII, 3. 1. Jo. III, 3. verum in primis etiam μετονυμίας & causatiter, quandoquidem hæc ipsa cognitio est primus fidei gradus & fundamentum partim assensus in intellectu: partim fiduciae in voluntate, denique affectus & amoris in appetitu. Manifestationem enim Christi excipit cognitio v. 6. 7. & ipsa fides v. 8. coll. cum c. XVI, 27. 30. Hinc ipsa hæc *notitia* dicitur γνῶσις τῆς σωτηρίας scientia salutis Luc. I, 77. quia pro ordine divinitus præscripto, quasiqve de jure, homines ad salutem consequendam deducit. Itaque Vita h. l. idem erit qvod via & medium pervenienti ad salutem, quo sensu legitur Deuter. XXX, 15. Rom. VIII, 6. Jo. VI, 63. XI, 25. XII, 50. XIV, 6. Rom. XI, 12. Accedit 2.) qvod tota nobis fides promerita est a Christo, quippe qui nobis factus est a Deo Patre sapientia 1. Cor. I, 30. illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum Jo. I, 9. qvod

9. qvod ne ipse quidem diffitetur Indifferentista §. II. sub init.  
 Jam vero qvicqvid nobis peperit, promeruitqve Christus, id  
 nobis ad salutem profit necesse est, cum totius ἐνστρατείας &  
 meriti servatoris non aliud sit finis quam salus humani generis  
*Matth. I, 21. XVIII, 14. Gal. IV, 4. Jo. III, 16.* Unde & πλεῖον  
 divinæ gratie sese diffidisse in nos dicitur ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρο-  
 νίᾳ *Epb. I, 8.* cuius qvanta esset necessitas patet ex tabulis vo-  
 cationis Paulinæ *Act. XXVI, 18.* qvibus in primis jubebatur A-  
 postolus aperire oculos infidelium. Ea de causa 3.) tota fides  
 dicitur opus Dei *Jo. VI, 28. 29. 2. Thess. I, II.* qvod nec incipi nec  
 perfici potest nisi ab ipso Deo *Phil. I, 6. Col. II, 12. Eph. I, 19. Rom.*  
*XIV, 20.* Jesus autem ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς fidei salutatur  
*Ebr. XIII, 21.* A qvo notitia & assensus excludi non possunt  
 commode, utpote qvæ perinde ut fiducia divinæ gratiæ ac bo-  
 nitati debentur. Vid. *Hulst. Prael. in F. C. Art. VI. p. 393. 399.* Quid  
 qvod 4.) nec assensus nec fiducia locum habere possunt in  
 homine, nisi antegressa cognitio fuerit, ut supra docuimus.  
 Interim 5.) distinguimus inter id qvod ad modum præreqvisti-  
 ti necessarii, & qvod ad instar causæ adæqvatae ad salutem con-  
 currat. Fides, qva est in intellectu, utiqve non est adæqvata  
 salutis caufa, ex parte hominis, ita ut ea posita, ipsa qvoqve  
 ponatur salus. *Quando enim non altius assurgit, verba sunt*  
*M. Chemnitii Harm. T. I. f. 856.* *tum hic gradus, nempe notitia,*  
*non sufficit ad salutem.* Interim, qvod Idem subjungit, fides  
 iustificans etiam hanc generalem fidem, præsupponit & in-  
 clusam tenet. Et ut *B. Calovius* in *Synopsi loqvitur p. 456.* si-  
 ne notitia certorum objectorum fides salvifica consistere non pot-  
 est. Qvod ipsum adeo verum est, ut ne ipse quidem diffiteatur  
 Indifferentista, aliquam ad fidem salvificam notitiam re-  
 quiri: Id negat prolixam, & arduam atqve ad Catechismum  
 qvendam, Systema vel formulam accommodatam reqviri:

Ex

Er erfordert zwar auch einige Wissenschaft des Verstandes/ aber eine geringe und einfältige/ und die nicht eben nach einem Catechismo, Formul oder Systemate darff abgemessen seyn. Scenæ haud dubie Syncretisticæ ac Libertinæ inserviens, quo persuadeat, eos omnes, qvi in paucis illis fidei qvæ creditur articulis, consentiant, qvibus tandem cunqve formulis conceptus suos exprimant, pro religionis Christianæ sociis ac hieredibus Vitæ æternæ haberi oportere.

§. IX. Nos 1.) exploratae veritatis interpretamur indicium, qvod ipse tandem adversarius, *notitia* alicujus, saltem *tenuioris*, ad fidem salvificam, ipsamque adeo salutem, *necessitatem* agnoscit: Qvo pacto sponte sua ruit ineptissimum illud principium: *Quicquid est in intellectu non salvat.* 2. Distingvimus inter fidei salvificæ conceptionem, & conceptæ conservationem, augmentum, & confirmationem. Ad illam fateor sufficere posse brevem simplicemqve notitiam, de gratia Dei universali in Christo mediatore: de hujus missione in carnem, plenissimaqve satisfactione ac merito universalis: de serua Dei voluntate hoc meritum omnibus applicandi per fidem, omnibusqve ac singulis efficacia & sufficientia gratiæ media suppeditandi &c. Qvæ tamen & ipsa multa doctrinæ capita irtpote de revelationis cujusdam divinæ existentia, & infallibili auctoritate, de Dei existentia, potentia, misericordia de tribus in eodem personis, de humanae in Christo naturæ veritate, de resurrectione mortuorum, vita æterna, & id genus alia supponunt ac præ requirunt. De qvibus vid. *Hunnius in Διαστολæ n. 260. 340. 84. 660.* & *Hülfsem. de dogmat. ad salutem creditu necessar. n. XVII: sequ.* Ad fidem vero confirmandam augendam & conservandam, hæc talia sufficere non concesserim. Quemadmodum ad ædificium, qvocum fides nostra contenditur, *Mattb. VII, 24. non solum fundamentum requiritur, cui mo-*

Ies reliqua innitatur; adsint quoque parietes, tecta, columnae, gradus, ostium, ornamenta necesse est, & si quando prolapsio-  
nem minatur, admovenda sunt fulra: Ita non satis est, hau-  
fisse fidem, hujusque fundamentum tenuisse utcunqve: Plura  
imbibenda & credenda sunt capita quibus tota Christianismi  
structura perficitur quasi atque consolidatur, ne circumferamur  
tanquam infantes ταῦς Φρεστού, διδαχῆς πονίλαυς καὶ Σέναυς, do-  
ctrinis multiformibus & peregrinis Hebr. XII, 9. aut aliorum nefariorum erroribus abducamur a vero 2. Pet. III, 28. Vel etiam  
indigne sacramentis utamur 1. Cor. XI, 28. coll. cum c. X, 15. &  
gratia Dei prorsus excidamus cum Galatis c. V, 4. sed possimus  
resistere temptationibus satane, & hostibus veritatis τερεοὶ τῇ πί-  
στῃ 1. Pet. V, 8. 9. & omnibus peractis stare Ephes. VI, 13. ac omni  
sapientia prudentiaque impleti digne ambulare Domino Col. I, 9.  
16. aliosque ad idem faciendum monere Rom. XV, 4. bonumque a  
malo, διὰ τὴν ἔξω secernere Ebr. V, ult. Eqvidem hominem sola  
fidei justificari certissimum est. Sed justificati variae multaque  
sunt partes non temere negligenda. Fundamentum fidei est  
sancte tuendum, ne vel contrario, vel peregrino laddatur do-  
gmate: Renovatio nostra magis magisque est extendenda. Re-  
movenda sunt impedimenta fiduciae: fundenda ad Deum pre-  
ces, patienter ferenda calamitates. Expiandi aliquando sumus  
mysteriis, instruendi consilis, erigendi solatis, &c. In quibus  
omnibus nonnulla est opus notitia, plerumque sic comparata,  
ut si maxime ignorantia veritatis non fuerit noxia; assertio ta-  
men falsitatis maxime noxia sit & fiduciae, & pietati erga De-  
um, judicio B. Hulsemanni l. c. p. 105. sequ. Itaque Paulus E-  
phesis etiam post acceptam fidem per charitatem ἐπεργμένην  
c. I, 15. nihil minus precatur spiritum Sapientiae ac revelationis  
per agnitionem sui, mentisque oculos illuminatos, ut scirent,  
quam sit opulenta gratia hereditatis illius in sanctis v. 18. Idem  
per-

perpetuo pro *Colossensibus* orabat, ut impletentur agnitione *volumatis* divine in omni sapientia & prudentia spirituali, *cap. I, 9.*  
*10.* Petrus etiam precabatur suis a Deo τὸ καταπλέσθαι, τηγίζεσθαι,  
 θειᾶσθαι, θεμελιῶσθαι *i. Ep. V, 10.* Pro *Corinthiis* autem eo nomine gratias agit Apostolus quod omnibus ditati sint per Christum  
 ἐν παιδὶ λόγῳ, καὶ πάσῃ γνώσει *i. Ep. I, 5.* monetque simul ne sint  
 pueri sensibus, sed malitia, ταῦς δὲ Φρεσὶ τέλοι & adulti *c. XIV,*  
*20.* Itaque reprehendit *Ebraos*, quod nondum, pervenerint  
 ad τελείωτα, nec dia τὴν ἔξι sensus habeant exercitatos, &  
 cum de jure S. literarum magistri esse deberent, nihilominus  
 pueri sint velut *elementarii* in Christo *Ebr. V, 25.* Qva castiga-  
 tione nihil fuisse opus, siquidem uberior solidiorque rerum  
 divinarum notitia a Christianis non desideraretur. Et vero  
 cum imago Dei ἡμέρα καὶ ἡμέρα sit instauranda in homine *z.*  
*Cor. IV, 16.* idque in intellectu non minus, quam voluntate *Col.*  
*III. 10.* quis neget hominem rerum divinarum cognitione in-  
 dies proficere oportere? Jubemur certe ἀνέκαθεν εἰς τὴν ἐπίγνω-  
 σιν τῆς Θεοῦ *Col. I, 10.* εἰς ἀνδρὰ τέλειον, in virum perfectum, in mensu-  
 ram ætatis plene adulterum Christi, ut non amplius simus pueri, qui  
 fluctuant ac circumferantur quodvis doctrina vento, sed veritatem  
 selectemur in charitate *Ephes. IV, 12, 13.* Ea de causa Deus non so-  
 lum tantæ amplitudinis sapientiæque Scripturas instituit, quo  
 perfectus, aptius, fieret homo Dei ad omne opus bonum *z. Tim.*  
*III, 17.* Sed & in Ecclesia constituit Doctores & Pastores, πρός  
 κατάπτοντον τῶν ἀγίων, ad sanctos eo usque perficiendos, donec  
 rerum sacrarum scientia, vel ipsos æquent magistros, conf.  
*Luc. VI, 40.* & *1. Pet. V, 10.* Qvo utroque nihil fuisse opus, siquidi-  
 dem tenuis quædam, ac perfunctoria cognitio sufficeret omni-  
 bus ad salutem.

§. X. Interim 3.) discernere fas est Christianorum  
 etates, personas, tempora, ignorantiam, conditionem denique  
 ac statum. Non enim quæ ab adulto requiritur notitia,  
 eadem

eadem & ab infante: cum hujus teneritudo non nisi tenuem ferat: illius autem confirmata etas ubiorem admittat. Multa igitur pueris, & Catechumenis ac Incipientibus condonantur, quæ a proiectioris etatis hominibus, & proficiensibus recte exegeris, cum ob amplius discendi spatium, tum ob majorem maturitatem judicii. Ad haec hominum alii in plena libertate etate: alii sub mortis ipsius articulum ad priorem religionem accedunt. In illis haud dubie amplior requiritur cognitio, quod longius vivendi proficiendique spatium suppetit: In his tenuior, ob utriusque defectum. Sed & quæ ignorationem nonnulla datur diversitas, cum alia simplex, alia vero cum pertinacia, negligentia, & contradicendi studio sit conjuncta. Prior, nisi detur in illis, quæ fundamentum fidei proxime attingunt, capitibus, non facile quenquam salute privaverit: Posteriorem vero æternæ felicitatis gaudia intercipere posse, ex Matth. V, 19. recte colligitur. Porro quæmadmodum membrorum in Ecclesia diversa sunt munia; sic etiam a diversis diversa requiritur notitia. Deus enim posuit membra, unumquodque singulatim in corpore quæmadmodum voluit 1. Cor. XII, 28. Num omnes Apostoli? num omnes Prophetæ? num omnes Doctores: Si totum corpus oculus, ubi auditus: si totus auditus, ubi olfactus? Non igitur eadem omnium sunt partes: Aliæ salvandis; aliæ salvaturis convenienter. Quidam sibi soli, quidem & aliis discunt. Major in his; minor in illis requiritur cognitio. Et quæmadmodum in nulla non arte ac disciplina, Magister discipulum; sic in Christiana religione Doctor auditorem scientia superabit. Non enim quæ ad hauriendā fidem, eadem ad universam religionem defendendam sufficiunt. Hinc veteres distingebant inter γνῶσην & inter πίστιν. Haec, ut est apud Clem. Alex. L. VII, Strom. f. m. 732. edit. Paris. dicebatur τύπος τῶν κατεπιστοῦσῶν γνῶσις, brevis & compendiosa

sa eorum, quae necessaria sunt, cognitio. Illa vero αἰπόδεξις τῶν διὰ πίστεως παρελημμένων ἰσχυρὰ καὶ βέβαιος διὰ τῆς κυριακῆς διδασκαλίας, ἐπικοδισμένη τῇ πίστει εἰς τὸ ἀμετάπτωτον, καὶ μὲν ἐπιτήμης καὶ παταληπτὸν παραπέμπεται, firma Ἐ stabilis demonstratio eorum, quae assumpta sunt per fidem, quae per doctrinam super fidem adificatur, quae transmittit ad id, quod non potest excidere Ἐ mutari, Ἐ potest comprehendi scientia. Πίστιν exigebant ab omnibus; γνῶσιν a futuris doctoribus. Diversa nimurum sunt hominis Christiani, & Ecclesiastici Pastoris officia. Illius est parere τοῖς ἡγεμόνοις Hebr. XIII, 17. & sedentibus in cathedra obedire Matth. XXII, 5. Hujus est salutares doctrinas a pestilentibus distingvere, illas ovibus suis proponere, ab his arcere: errantes in doctrina reducere: vulneratos in conscientiis sanare: imminentes gregi lupos prospicere ac fugare, oves aliquando ex ipsis Satanae faucibus eripere. Pro qvorum qvidem munium amplitudine major qvoque solidiorque rerum sacrarum in eodem reqviritur cognitio. Qapropter etsi Apollo Corinthiacus institutus erat in via Domini, Ἐ potens in Scripturis, Spirituque fervens, ut nosset τὰ περὶ τὴν κούτσαν ἀπίστας διδάσκειν, tamen quia μόνον τὸ θάντυμα Ιωάννου sciebat, & rudior illa notitia non videbatur sufficere, ad eos, qui erant ἐν περιτομῆς, feliciter refutandos: accersito ad se ἀπρέσεον exposuerunt viam Domini Aquilas & Priscilla, idemque ἐντόνως τοῖς Ιudeis διαπατελεγχόμενος vehementer convincendo Judæos (hem usum Theologiae polemicæ!) multum contulit, τολὺ συνεβάλετο, his qui jam ante crediderant in Christum Act. XVIII, 24. seqv. Conf. Hulf. de Calvin. irreconc. p. 106. Wagner in disquis. in Acta Henot. c. VI, p. 720. VII, 747. Melch. Zeidler. de gem. Vet. doc. modo n. XIV, p. 26. Krommayer LL. Anti-Syncr. Pralogn. de Art. fidei.

§. X. Errat proinde Libertinus, qvando sub N. T. initia-

um solam ursissē pœnitentiam, doctrinam vero de essentia di-  
vina duabusque in Christo naturis, de hujus item persona & offi-  
cio, de sacramentis, electione &c. neglexisse docet Apostolos.  
Redolet hoc sententiam Th. Hobbesi qui L. de Cive c. XVIII, n.  
3. ex Act. II, 38. & aliis excuspare conatur: *Omnia ad salutem  
necessaria contineri in fide h. e. unico articulo: Jesum esse Chri-  
stum; & obedientia seu pœnitentia.* Eqvidem nulli diffitemur,  
monitos fuisse homines ut pœnitentiam agerent, & crederent  
Evangelio: sed ut recte vereque agi pœnitentia possit, multorum  
capitum notitia est supponenda in homine, qvod patet ex con-  
cionibus Apostolicis, qvibus ad eandem sunt cohortati Act. II,  
14. seqv. coll. cum 38. c. XVII, 22. coll. cum 30. seqv. XXVI, 3. 4.  
seqv. coll. cum 18. & 20. Neque etiam Evangelii doctrina tri-  
bus quatuorve verbis absolvitur. Itaque cum primam  
Christi & Apostolorum vocem fuisse legimus: *pœnitentiam a-  
gite & credite Evangelio:* *|Summa concionum & scopus, non o-  
mnia concionibus proposita indicantur.* Iisdem enim verbis Ser-  
vator ministerium dedicavit suum Matth. IV, 17. Marc. I, 15.  
Luc. IV, 16. Sed vero qvum ascendisset in montem prolixum  
habuit sermonem ad populum V. VI, & VII. capite ab Evange-  
lista describendum. Idem alio tempore multa docuit popu-  
lum per parabolas Marc. IV, 2. VI, 34. Qvæ licet naſ idicā in-  
terpretatus fuit discipulis Marc. IV, 34. morti tamen vicinus  
multa sibi superesse cum iis communicanda minime dissimulavit,  
de qvibus sint informandi a Spiritu S. introduc̄turo eos in o-  
mnem veritatem Jo. XVI, 12. 13. De essentia imprimis divina,  
de qvæ sua ipsius persona & officio, ac inde ac genus humanum  
redundantibus beneficiis prolixos ſapere sermones adpopulum  
habuit, qvæ extant apud Evangelistas, maxime Joannem. De-  
niqve monumentis de dictis factisqve Servatoris capiundis ne  
mundus qvidem fuerat suffecturus Jo. XX, 20. Petrus autem  
die

die Pentecostes non solum facundo satis sermone ad poenitentiam invitavit Israelitas *Act. II, v. 14.* usque 40. sed &c. ετέροις λόγοις πλέοντι testimonium dedit fratresque solatus fuit. Iudas quoque & Silas Prophetæ διὰ λόγου πολλά, copioso sermone confirmarunt fratres in fide *Act. XV, 32.* qvibus tamen ipsis antea missas ab Apostolis literas exhibuerant c. 39. Sic Paulus in Macedoniam reversurus λόγῳ πολλῷ exhortatus est Christianos *Act. XX, 2.* Troade vero abiturus παρέτεινε τὸν λόγον μέχει μετονυμίᾳ v. 7. imo ἄχρις αὐγῆς v. 11. ὁ φ' ιανὸν ὀμιλήσας ἀντοῖς. Nimirum qvia operam dederat, ut annunciatet iis πᾶσαν Εβαλὴν τὰ θεῖα, καὶ πάντα τὰ συμφέροντα ἀντοῖς c. 20. 27. In qvibus quidem nihil præterquam poenitentiam inulcasse Apostolum qvis credat? Qvapropter plena audacia vox est Libertini: Die Apostel sagten zur Zeit des Anfangs des Christenthums mit wenig worten: Thut Buſſe und gläubet an Christum/ oder an das Evangelium/ und wenn sie sich hierzu von Herzen bekandten war es schon gut. Tota N. T. Scriptura his ineptiis reclamat.

S. XI. Sed pergit: Niemahls haben die Apostel diese Leute von den Wesen Gottes/ der Vereinigung der Naturen in Christo/ seiner Person/ Amt/ von den so genannten Sacramenten/ der Gnaden-Wahl u. s. w. examiniret/ sondern nur auf die Buſſe gedrungen. Nugae. Neque enim 1.) omnia Apostolorum vel dicta vel facta fuerunt literis consignanda. 2.) De his quidem capitalibus doctrinæ articulis nunquam explorasse fideles unde probabitur? Examinavit sua de persona Servator discipulos *Matt. XVI, 13.* antea ipse examinatus in templo *Luc. II, 46.* examinavit de duabus personæ suæ naturis Pharisæos *Matt. XXII, 41. 42.* Periclitatum etiam aliquando suos fuisse auditores Apostolum colligo ex *Act. XX, 20.* siquidem docuit ἀηδοστα καὶ καὶ οἶκες, publice ac per domos; imo vero cum lacrymis ad-

*monuit̄ ενασον.* Qvo pacto crebra eum instituisse examina qvis  
 neget? Deniq; de Christo, Sacramentis, essentia divina & alii &  
 studiosius edocuisse populum, & num imbibissent recte, exami-  
 nando reqvisivisse patet ex Ebr. V, 11. seqv. & VI, 1. seqv. Repre-  
 hendit enim Ebræos, qvod cum merito Doctores esse debeant,  
 nihilominus in dissentium & Catechumenorum subselliis hæ-  
 reant. Qvo de nisi per explorationē prefectuum Apostolo con-  
 stare non poterat. Esto autem 3.) de hujusmodi articulis non e-  
 xaminasse Apostolos auditores : Quid? Si dicatur : Apostolos  
 non ad *examinandum* sed *Evangelizandum* missos fuisse, eo sen-  
 su, qvo se ad baptisandum missum fuisse inficiabatur Paulus? 1.  
**Cor. I, 7.** Examinandi partes ad ποιμένας καὶ διδασκάλας magis, quam  
 ad Apostolos pertinebant, qvorum distincta fuisse munia con-  
 stat ex 1. Cor. XII, 28. Eph. IV, 11. Per hos enim *preparandi* erant  
*sancti* velut tyrones a *Magistris* Luc. VI, 40. ad *edificationem*  
*corporis Christi* h.e. Ecclesiæ Eph. I, 23. V, 22. Col. I, 18. 1. Tim.  
 III, 15. donec pervenirent omnes in unitatem fidei, nec amplius  
 essent pueri vel Catechumeni, & primis Christianæ doctrinæ e-  
 lementis imbuendi Eph. IV, 12. 13. 14. Cui conseqvendo fini  
 cum aptissima sit repetita prefectum exploratio, qvis dubitet  
 commendato fine, media qvoque ad illum obtinendum ido-  
 nea collaudata fuisse? Neqve tamen ob *examinandi* laborem  
 in Pastorum Doctorumqve humeros devolutum hæc ipsa fi-  
 dei capita ne *tradidisse* quidem Apostolos est putandum.  
 Contrarium patet ex mandato Christi : *prædictate Evangelium*  
*omni creature, docentes eos servare omnia, οὐαὶ ἐνεργάμενοι, qvæ-*  
*cunque præcepi* Marc. XVI, 15. Matth. XXVIII, 20. Patet ex ta-  
 bulis vocationis Paulinæ, qva missum se profitetur, ut *aperiret*  
*oculos gentilium, qvo hi converterentur a tenebris ad lucem, & a*  
*potestate Satanae ad Deum, ut acciperent remissionem peccato-*  
*rum, & sortem inter eos qvi sunt sanctificati per fidem Aet.*

XXVI, 18. Patet ex praxi Apostolorum, qui revelarunt hominibus πάσαν βελήν τὴν θεόν de salute nostra, ad quam etiam pertinere baptis̄mū & doctrinam de Sacramentis liquet ex *Luc.* VII, 30. Addatur locus *Ebr.* VI, 1. sequ. ubi p̄nitentia ab operibus mortuis non modo adjunguntur capita de Fide in Deum, Baptismate & manuum impositione, resurrectione mortuorum & judicio aeterno, sed etiam haec omnia ad τὸν τῆς ἀρχῆς λόγον referuntur, & τὴν τελείωσιν, cuius tamen & ipse aliquam necessitatem esse insinuat, opponuntur. Non obstat, quod prater Christum, eumque crucifixum, quicquam scire negat Apostolus, *1. Cor.* II, 2. Nam hic ipse est ὁ πλάτως τῆς δόξης τὴς μυστηρίων, in eoque absconditi sunt omnes thesauri sapientiae & scientie *Col.* I, 27. II, 3. Unde & annuntiato Christo gloriatur se docuisse omnem hominem εἰς πάσην σοφίαν idque ut eum sisteret τέλειον seu adultum in Christo Iesu, h. e. de omnibus doctrinæ salutaris capitibus plenissime informatum. *Col.* I, 28. *Eph.* IV, 13. *Ebr.* V, 15. *1. Cor.* XIV, 20. Nervum itaque & scopum suæ institutionis, non omnia doctrina argumenta respexit, perinde ut Theologia dicitur λόγος περὶ τῆς θεός, sic tamen ut voce Dei non modo essentia, sed & omnia illius attributa, nec non tota de restituenda hominibus salute oīnovouā significetur.

§. XII. Esto; dixerit Indifferentista, Apostolos plura Fides ursisse capita: Hoc tamen negari nequit, notitiam Fide salvifica comprehensam, ad nullum precise Catechismum, formulam, aut Systema exigi oportere. Norunt nimurum Syncretisticæ confusionis Patroni histalibus, siquidem e puro Dei verbo extorta sint, cum verum a mendacio, cœtumque orthodoxum ab heretico distingvi, tum effrenem opinandi licentiam coerceri ac reprimi. Quod utrumque sicut eorundem studiis est adversum, sic formulas, Catechismos, Systemata, ceu pacis & cordia remoras, ac injectos libertati compedes aversantur ac improbant.

§. XIII.

§. XIII. Nos 1.) tam absurdi non sumus, ut hominum de rebus sacris conceptus formulis, ab hac illave Ecclesia receptis *absoluta qvadam necessitate conformandos esse existimemus.* Est suum cuique arbitrium, nec qvisq; nostrum veterum institutorum tam erit superstitione tenax, ut aliorum de rebus divinis sententias non alia de causa rejiciat, qvam qvia receptis penes nos formulis non respondeant. Dummodo in *doctrina* daretur consensio, de *formulis* facile conveniret. 2.) Si omnes tam *pie crederent*, ut eorundem *confessiones* accipi *sine scrupulo* possent; aut si tam *prompte* omnes fidei *rationem* reddere scirent, ut *verbis* ab alio conceptis *non indigerent*, a *præscriptis* definitisq; formulis haud dubie abstinisset Ecclesia. Nunc ubi paucissimi suopte ingenio *de prompta ex scripturis digerere*, vel suas de divinis sententias idoneis exponere verbis norunt: Multi etiam scripturas καπηλεούτος pernitosos errores ita disseminant, ut aliter loqvantur, aliter sentiant, & pessimum saepe virus speciosis sermonibus occultent, veritatis juxta & laborantis ecclesiæ interest, extare *formulas*, *Catechismos Systemata*, qvibus & simpliciorum sublevetur *inscitia*, & *adversariorum* evitentur *insidia*. Atque hos quidem libros tanto qvis felicius in imbibenda vel confitenda fide seqvetur, qvanto circumspectius *scripti*, qvanto studiosius *expensi*, qvanto pluribus *probati* fuerunt. Neque enim 3.) ad *omnes* promiscue *Catechismos* vel *formulas* fidem componendam esse contendimus, sed ad eas solum, qvæ ex puro Dei verbo exstructæ, & in sanctiore coetu, qvi σῦλος est καὶ ἐδράωσα τῆς ἀληθείας 1. Tim. III, 15. receptæ, vel Symbolari etiam autoritate firmatae sunt. Qvarum de perpetuo cum Scripturis consensu qvi dubitat, is easdem ad verbi divini regulam absq; præjudicio, & fide bona examinet. Qvo facto uti eandem utrobiq; sententiam facile deprehendet, ita qvo minus ad earundem *præscriptum* de rebus sacris sentiat ac loqvatur, nulla prohiberi religione potest. §. XIV.

§. XIV. Formulæ alioqvi solennes, ac definiti loqvendi modi, in qvos multis intemperiis Libertinus, ac Novatores ceteri invehluntut, nil habent *in se* vel virtii vel incommodi. Deus ipse certas bene precandi, sacrificia offerendi, cædis *suspicionem* a se amo<sup>v</sup>endi, & alias hujus generis præscripsit. *Num. VI, 23. X, 35. Deut. XXI, 7. XXVII, 14. sequ.* Sic canendi, psal-lendique formulas populo Israëlitico observatas fuisse, constat ex *1. Chron. XIV, 8. XVI, 16. 20. 21.* Qvod qvidem adeo non improbavit *Servator*, ut etiam in ultimo Paschate ritum illum non præterierit *Mattb. XXVI, 30.* Deniqve licet eadem in gente Dei beneficia pro se quisqve agnoscere, & grata menti deprædicare posset: conceptis tamen id verbis, iisdemqve solemnibus, id fieri consueuisse ab omnibus docet *Syracides c. L, 23.* Idem vero in reddenda fidei ratione licere probatur a) Qvia Paulus custodire jubet τὴν ὑποτύπωσιν οὐγλωντων λόγων h.e. illam docendi rationem & formam, ad qvam *velut* εἰνῶνa qvendam & αἰχέρυμον alii subinde respiciant, quo & ipsi rectas lineas vel docendo, vel confitendo ducere possint 2. *Tim. III, 13. Tit. III, 14.* Adhac b) summopere in Scriptura laudatur purioris doctrinæ accurata custodia, & ad posteros propagatio. Eo enim nomine commendatur Timotheus, qvod παρηκολώθηε, ac velut per vestigia persecutus ducentem Magistrum fuit. Idemqve jubetur, qvæa Paulo didicerit, τὰντα, eadem communicare cum aliis 2. *Timoth. II, 2.* Qvin & universim Apostoli id dabant docentes operam, ut eadem loqverentur ac tradarent, qvod Paulus confirmat 1. *Corinth. XV, 11.* είτις ἐγώ, εἴτε ἐκένω, εἴτως υπίστομεν, perinde ut singuli τὰντα, easdemqve res iisdem verbis proponere ac inculcare solebant, idq; ad auditorum ἀσφάλειαν *Pbil. III, 1.* Per Catechismos autem, præscriptasqve ac solennes docendi formulas qvum id efficiatur, ut eadem & a doctoribus inculcentur, & ab au-dito-

ditoribus imbibantur, utriq; vero ασφαλεις, & opinionum suarum certissimi reddantur, qvis ad eorundem præscriptum hauriri notitiam aut edi confessionem, præter fanaticos ac Libertinos indigne feret? Qvinimo c.) inter prærogativas ac decora populi Israelitici numeratur habuisse, την μοσφωσιν της γνώσεως και της αληθείας εν τῷ νόμῳ? Rom. II, 20. Etsi enim Oecumenius h. l. per μοσφωσιν intelligat ἐπίπλασον εἰπόντα, personatam, seu ementitam imaginem, qvæ figuram solum habeat veritatis, qvemadmodum etiam Hesychius & Suida redunt: Recte tamen observavit Chrysostomus, τὸ τῆς ἀληθείας omnē spectrūm excludere. Et, qvod magis observari meretur, de tali loquebatur forma Apostolus, qva de merito suo poterat gloriari Judæus, qvod de fictitia qvadam & mere imaginaria, dici non potest. Qapropter h. l. μοσφωσις idem est qvod τύπος vel etiam ὑπότυπος, qvalem sese tradidisse docet Apostolus 2. Tim. I, 13. observante B. Wellerio. Atqvi hujus generis μοσφωσιν exhibent nobis Catechismi, & receptæ a nobis formulæ confitendi. Gloriemur ergo hoc nomine, & in laude ponamus in haurienda rerum divinarum cognitione ad Catechismos & formulas respexisse. Neqve vero desunt qui d) suo hic nobis exemplo präiverint. Attendamus ad confessiones sanctorum, & facile deprehendetur ad eandem qvæstionem, eadem qvoqve responsum fuisse formula. Ineunte novo foedere agitabatur nobilis illa, magniq; momenti qvæstio: Ecquis esset Jesus Nazarenus? Respondit qværenti Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi Matth. XVI, 16. Eadem repetebat Jo. VI, 69. Nos cognovimus Te esse Christum, filium Dei vivi. Idem fatebatur Nathanael: Magister tu es Dei filius, Tu ex rex Israël h. e. Christus Jo. I, 49. Zach. IX, 19. Matth. XXI, 5. Luc. XXIII, 38. 39. Jo. XIX, 19. Jes. XXXIII, 20. Idem Martha: Credo Te esse Christum, Dei filium Jo. XI, 27. Idem Aethiops: Credo Jesum

*Iesum Christum esse Dei filium Act. VIII, 37.* Nec multum abludebat *Coecus* Jo. IX, 30, 38. Adeoque credentes de Persona officioque Christi non modo eundem conceptum fovisse: sed & illum iisdem verbis expressisse constat. Hoc ipsum autem e) ceteris quoque committat Apostolus, cum jubet τῷ ἀυτῷ τοιχέν κακόν, τῷ αὐτῷ Φρονεῖ Phil. III, 16. 1. Cor. I, 10. quin & τῷ αὐτῷ λέγειν Rom. XVI, 5. 6. idque eo fine, quo ὁμοθύμαδὸν ἐν ἐνὶ σώματι glorificetur Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi, quæ glorificatio sit per confessionem doctrinæ. Conf. Jo. XVII, 4. Matth. V, 16. Atqui hoc obtinetur per catechismos & formulas, efficiturque, ut iisdem verbis eadem veritas defendantur, idem error rejiciatur. Minime igitur improbanda est fides aut Confessio, ad formulæ cujusdam aut Catechismi rationes concepta. Pie recteque Auctores solidæ declarationis in Form. C. memorant, *hypotyposin seū compendiariam sanæ doctrinæ ideo definitissimam, ut unanimi consensu approbata & certa forma doctrina haberetur, quam Evangelice Ecclesie nostræ simul omnes agnoscerent & amplecterentur p. 631.* Etenim quantum referat, Schilterus ait in Exetasi Catechismi Min. p. 42. unam quandam, certam, simplicem, seu μονοτρόπον brevem & perspicuum doctrinæ formam, & quasi ideam sequi, Canoni S. S. consentaneam, & ut Apostolus loquitur, fidei analogam, & unanimo Ecclesie orthodoxæ consensu comprobatam, ad conservandam puram incorruptamque fidem Evangelicam & edificantam Ecclesiam: *Index ambiguus, obscuris, perplexis & flexiloquitis doctrinæ formulis, ac discrepantibus loquendi modis, qui cuniculorum instar veritatem subvertunt, (secundum Hieronymum ad Pamphacium) & nihil nisi errores in doctrina, & animorum ac voluntatum distractionem pariunt, & in levibus ac petulantibus ingenii licentiam & audaciam lites ex litibus serendi alunt, & subinde augent ac confirmant, rectissime estimatur.* Quemadmodum graviter monet Lutherus in Pref. Catech. Min. *Quod utinam*

*utinam non suo magno cum malo Germania didicisset.* Hactenus Schilterus. Pium qvoqve B. Welleri de hoc arguento iudicium est super Rom. XVI, 5. 6. Est, inquit, studium Christiano homine dignum cum Ecclesia & sentire & loqui. Qui unum ex his negligit, charitatis, & veritatis pomaeria rumpit. Unde & Melanchthon, ut non solum in re, sed & in verbis conveniamus monuit, qvo iisdem verbis idem diceremus.

S. XV. Movit hæc ratio veteris Doctores ecclesiæ, ut hæreticis elementa religionis adulterantibus summam doctrinæ Catecheticae literarum monumentis complectentur, & publici juris facerent, qvarum lucubratiōnum εξαρχοντας πρωταγωνισταν fuisse *Cyrillum Hierosolymitanum* testis est *Hieronymus in Catalogo*. Hujusmodi tabulæ Catechisticae asservabantur in singulis Ecclesiis ex decreto *Conc. Neo-Cæsar.* c. V, 14. *Cont. Jo. Prideaux O.O. T. II. Conc. IV. p. 477.* Cautum qvoqve non una fuit Synodo ut Catechumeni ediscerent τὰ τῆς πίστεως σύνθετα. Vid. *Hab. Trip. L. II. 3. 14. Niceph. L. IV. 17.* Unde & *Isidorus Hispalensis L. II. de Offic. Eccles. p. 119.* Competentibus, inquit, salutare Symbolum traditur, quasi communicatorium fidei, & *S. Confessionis* indicium; qvo instruti cognoscant, quales jam ad gratiam Dei exhibere se debeant. Vid. *T. X. Bibl. PP. p. 222.* Eadem fere tradit *Rab. Maurus L. I. de Instit. Clericorum c. 26. eod. T. p. 575.* Memorabile vero exemplum & jucundum αὐρόεντα est *Basilii M. Græcos* inter Patres minime omnium postremi, qui nullus dubitavit Catechesin *D. Gregorii NeoCæarenensis*, quam puer ex nutrice sua Macrina didicerat, cum in maxima terræ marisqve parte per agranda, tum in Ecclesia gubernanda memori mente recolere & studiose sequi, & ad illum sibi traditum pietatis *Canonem*, ταῦτα θέτει τῆς ἐυτεβίας κανόνα, ut ipse loquitur, omnis generis dogmata exigere atque examinare & huic consentanea amplecti, contraria vero rejicere & averfari, ut ipse testatur *Basilius Ep. LXXV. f. 131.* Jam qvum Novatores

tores, mutatis licet temporibus, omnia ad pescatoriam simplicitatem, & disciplinam ecclesiæ vetustissimam cupiant revocata, cur qvod in eadem receptum approbatumque fuit, vitiū cuiusdam insimulant ac reprehendunt? Dices: *Ita vero fides aliqua formularia invenitur in Ecclesiam, efficiturq; ut confessio si oris non cordis, hominesque cœlestis doctrina capita recinent, inanibus sine mente sonis.* Qvod quis in corde credit, & apud se statuit, id suis, non alienis prescriptis que verbis edifferat. Mirum vero iisdem rationibus non deterritum Servatorem fuisse a prescribenda discipulis certa precandi formula Matth. VI, 6. Namque & mortales in explicandis suis desideriis, & necessitatibus natura sua ita facundi sunt, ut aliena formula carere posse videantur, & metuendum erat præterea, ne preces deinceps sine ardore studioque precandi effunderent. At qvia pauci homines eo, qvo debebant, ordine ac nervo Numini supplicant, nec raro medias inter preces ad βασιλογίαν deflectunt, hinc non solum suos Joannes discipulos, sed & suos Servator Apostolos bene recteque precaturos certam docuit formulam, qva uterentur deinceps, qvo & sua in orando infantiae aliquod adminiculum haberent, & ab inani verborum deblateratione deflechterent. In imbibenda vero & confitenda fide qvum idem sit metuendum periculum, & Christianos inter non pauci dentur, qvi vel peregrinos de Deo rebusque divinis conceptus fovent, aut, si iustos habent, ea, qva debebant, commoditate exprimere nesciunt, utile est extare in Ecclesia idoneas religionis atque doctrinæ formulas, verbo Dei conformatas, qvas vel in concipienda, vel confitenda fide simpliciores sequantur.

S. XV. Qvod de Catechismis respectu incipientium, idem de Systematibus, ad ductum Scripturæ exaratis, ratione proficiunt, & eorum, qui aliquando futuri Doctores sunt, affirmamus. Evidem ipsa Scriptura s. (verba sunt B. Dannhaueri

*In Hodeſoph. p. 9.) anq[ue] ſicav humanam non attendit; afflatus di-  
vini πολυμερώς καὶ πολυτέρως facti ſunt. Sed ſicut Librum na-  
ture Deus homini dedit, variasque in eo materias, ſylvas, cam-  
pos, montes, plantas, promiſue quaſi conditas: homini, ne otia-  
retur, curam, culturam, ordinis digestionem reliquit: Ita Librum  
Scriptura propoſuit, variis argumentis refertum, ubi (q[uod] de A-  
phorismis Hippocratis ille dixit) inani opera ordinem queras: Sed  
ideo Christus Doctores dedit, ac donum didacticum, ut omnia in  
ordinem redigant, excolant, expoliant, vindicent, adque fructus  
ſalutares diſpennſent. Hi proinde ſuis in Systematibus, q[ua]e  
confufe ac ſparsim traduntur de argumentis fidei in Scripturis,  
ad ſua q[ua]eque capita revocant, & ordine convenienti digeſta  
exhibit, conjunctisq[ue]; homogeneis, separatis heterogeneis, idem,  
q[uod] in Scripturis habetur, verbum ad faciliorem percipiend[um]  
rationem accommodant, hominesque in eodem investi-  
gando ac perdiſcendo juvant. Q[uod] quidem adeo adverſum  
Deo non eſt, ut ejus etiam non obſcura veſtigia per Apoſtolum  
in Epiftola ad Romanos expreſſerit, q[uod] dudum obſervarunt  
Theologi. Eſt enim Deus Ordinis nō conuisionis 1. Cor. XIV, 33. Hinc  
facienda in Decalogo Ex. XX. petenda in Oratione Dominicā  
Matth. VI. media recuperandā ſalutis in uocatione Apoſtolica  
Act. XXVI, 18. ſapientiſſime ordinavit. Idem reqviritur a  
ministris. Epifcopus debet eſſe διδακτικός, idoneus ad docendum 1.  
Tim. III, 2. qui norit ὁρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας 2. Tim. II, 15.  
h.e. diſtingvere diſtingvenda, non Legem cum Evangelio, Ju-  
ſificationem cum Renovatione, Contritionem cum fide, confun-  
dat, q[uod] fecit in ſuperioribus Libertinus. Ergo non impro-  
bandus eſt labor in Systematibus adornandis ſuceptus, nec re-  
prehendenda cognitio ad eorundem exemplum composita.  
Certe q[uod]um ſuo tempore Locos Theologicos evulgaffet Melan-  
thon, gratulatus eſt eo nomine cœtui diviniori Lutherus, eos-  
que ſtudioſæ juventuti, ceu opus antiquissimo cuique anteſe-  
ren-*

rendum enixissime commendavit. Kromajer. Hist. Eccles. p. 579.  
 Sed & perpetui moris fuisse in Ecclesia, ut purior doctrina summatim, ac bono ordine traderetur, pridem docuit in divinos Chemnitii Locos præfatus Lyserus Sen. ὁ πάντα, idemque accersitis ex antiquitate exemplis graviter ac erudite ostendit B. J. B. Carpzov. Isag. in Syst. Theol. seu conc. fun. Conf. Dannb. Hodom. Sp. Calvin. p. 501. Erasm. Schmid. in Not. ad Matth. V. f. 75. nec non Summe-Rev. Dn. D. Schelbergvrig. in Piet. Sect. P. II. Art. 10. n. 20. seq.

§. XVI. Atqui, dicat aliquis, Scriptura in se satis est perspicua, & omnium usibus destinata: Cur igitur non immediate ex eadem doctrinā peneritur? Ast vero non negatur a nobis, eadem qua systemate continentur, ex Scriptura quoque adhibito studio decenti addisci posse: par facilitate ab omnibus addisci posse negatur. Experientia, inquit Schillerius l. c. p. 43. Magistra rerum optima docet, qui sine ordine, coco impetu in medias doctrinas involant, aut in vafissimum pelagus vel S. Scripture, vel τῶν ἀγιορέων irrunt, aut etiam ordine inverso, initius nondum perceptis, vel fundamentis nondum jačitis, summa rerum fastigia perunt, in medio conatum cursu deficere. Nimirum ut Scriptura non est idias ἐπιλύσεως; sic non pari omnes felicitate ac successu eam tractare norunt. Dona Spiritus S., etiam ministrantia, variant. Non omnes sunt Doctores: Non omnes Prophetæ. 1. Cor. XII, 29. Multi evolventes Scripturas si rogentur: num hoc illudve intelligat? responsuri sunt cum Aethiope: πᾶς ἀν δυνατόν εἰν μὴ θεοῦ ὁδηγήσῃ us. Act. VIII, 31. Qvam si quis illis operam navet Theologus, & sui ubertate ingenii aliorum inopiam sublevet & quo labore ipsi proprio pervenire non possunt, ordine deducere cupiat, illius merito studium improbari non debet. Certe quisquis spiritu vertiginis occupatus compendia, formulas, Catechismos, Systemata superciliosè despexerit, perinde fecerit ac si fastiditis spretisque lignis ad adescandum collectis velit materiari, aut semina jam-dum excusa frugibus in horrea convectis, ac demum exutiendis postponere.

§. XVII. Instat fanaticus: Per penitentiam homines unitiōnem accipere, eademque accepta nosse jam omnia, nec indigere inspectione systematis? Wer wahre Buße gehabt hat / der weiß vermöge der auf sich habenden Salbung alles/ und hat nicht nothig ein Systema zu lernen. Idem Weigelius docet P. II. Post. p. 51. Wir müssen vom H. Geist / von der Salbung in uns gelehret werden / sonst ist alles umbsonst / was

man auswendig lehret oder schreibet. Felicem verounctionem, per quam difficultaria quæque sine labore ac studio innotescunt. Qua cum sese per paenitentiam haud dubie beatum esse opinetur Indifferentista, mirum videri poterat, eum in rerum divinarum cognitione non melius profecisse. Etenim cum, ne ad *σορχεῖα* quidem τῆς ἀπόχαιρης, nedum ad *τελεότητα* pervenisse hastenus discipulata evineantur. Qvod si unctus a Spiritu S. novit omnia, cur illa a Spiritu S. revelata esse ad salutem necessaria superius negabatur? Neque enim credibile est, sanctissimum illud flamen otiosa & supervacanea tradere? Auctoritate vero Joannis parum sese tuerit feliciter Libertinus, dum qvod falsis Doctoribus oppositum fuit oraculum, intempestiva quadam audacia vertit in *orthodoxos*. Neque enim tam absurdus erat Apostolus, ut homines per gratiam Spiritus S. inhabitantem erudiri de rebus omnibus sine labore ac industria cum *Weiglio* putaret. Quid enim alioqui opus fuisset mittendis ad eos non unis literis? Illud insinuare volebat Joannes, non esse, cur aliorum doctrinam, utut *speciosam* ac *novam*, *veteri* ac dudum *infillata* præponerent, aut Pseudo-Apostolorum ope in hauriendis ad salutem cognitu necessariis sese indigere putarent, cum jam iudum a se Collegisque suis *satis* sint informati, perque fidem cum Deo uniti, ac donis Spiritus S. *luculentis* instructi, ut possint probare *omnia*, & vera a falsis *distingvere*, *peregrinis* autem aliorum *opinionibus* carere. Jubetigitur eos, in accepta pridem doctrina persistere, nec fanaticis & seducturis Doctoribus nocendi locum præbere. Qvod patet collatis inter se vv. 20.21. & 27. Ex hoc autem renatos non aliena institutione, non evolutione systematis indigere quomodo inferetur? Vid. *Disp. de Unctione omnia docente*, Præside Magnif. Dn. D. Neumanno, habita Wittenb. A. XCIV.

§. XX. Sed quid mirum hominem de auctoritate systematum ac formularum detrahere, & ad horum rationem fidem componi oportere, negare, cum de ipsa Scriptura S. parum sentiat reverenter, ac ne ad hujus quidem præscriptum fidei confessionem adornandam esse existimat. Impia omnino ac plena temeritatis vox est §. II. *Ben mir* heißt die Schrift nicht eine Richtschnur / daraus man phrases und Redens-arten ziehen; sondern eine Richtschnur nach der man leben soll. Ex quo discamus licet, quanta spiritus fanatici sit audacia, qui ubi se ab auctoritate S. literarum deserit, elevat eam, ac superciliosè contemnit, satisque pro imperio didicit: *sibi vivendi non loquendi*

nor-

*normam esse scripturam.* Atqui ostendendum erat fanatico, ubi normandi vis ad solos hominum mores restricta fuisset in Bibliis. *Canon* certe ac norma sine temperamento Scriptura dicitur *Gal. VI, 16. Ies. VIII, 20. Luc. XVI, 29. Jo. VIII, 31. Jo. XII, 48. Ebr. IV, 12. Ps. XIX, 15. Rom. X, 18. Phil. III, 16.* Qvod si de rebus sacris qvodlibet sentire ac loqui fas est, qvid opus tandem fuit *revelatione* divina, qvum ad dirigen-  
dos mores, vel interna *vis conscientie* ac *lex naturae* queat sufficere? Nam  
*gentes legem non habentes* τὴν Φύσει fecerunt *τὰ τὰ γόμας*, *Rom. II, 14.* To-  
ta vero scriptura uti Θεονυευστος, ita qvoqve utilis est ad doctrinam,  
qvæ tamen modis loquendi & phrasibus continetur *2. Tim. III, 16.* Hos  
igitur a Scriptura normari necesse est. Hinc Christus acceptam a Pha-  
riseis responsum: *Messiam esse Davidis filium*, ceu veram quidem, at  
insufficientem rejecit, ideo, qvod in scripturis Messias non modo  
Davidis Filius, sed & Dominus diceretur *Math. XXII, 43.* Ipse vero cum  
lis sibi moveretur de *ritulo Dei*, qvem sumpserat, recepit se ad Scriptu-  
ras, causatus, in iis nomen *Dei* etiam *magnificatibus* tribui, *nec solvi tam*  
*Scripturam posse*, etiam qva loquendi modos *Jo. X, 35. seqq.* Sic ex ora-  
culo Davidis *Ps. VIII, 7.* *omnia sub iecisti sub pedes ejus* *1. Cor. XV, 27.*  
28. Apostolus colligit, primo, *excipendum esse subiectem*, deinceps  
filium qvoqve ipsum, qva hominem debere subjici, quo *Deus sit omnia in*  
*omnibus*. Eodem in argumento *Hebr. II, 8.* urget vocabulum πάντα, ex  
eoq; infert, universaliter de subjectis loquendum adeoque ne angelos  
quidem excipi oportere. *Quid?* qvod omnis πρᾶγματα interpretatioq;  
Scripturæ ad αὐτοὺς τὴν πίστεως perpetuumq; Scripturæ consensum  
est exigenda, qvi verbis formulisque loquendi Spiritui S. receptis  
haud dubio continetur. Sed & illustris locus est *1. Pet. IV, 11.* *Quis-*  
*quis loquuntur* τὸν λόγον τὰς ἀγρυπνίας, τὰς ἀγρυπνίας, *quas admeti-*  
*tur Deus in ministerio sunt principium operandi sive operantis, sic τὰ τὰ*  
*Θεῶν λόγια sunt norma loquendi sive λαλίας in divinis ut pulchri-*  
*B.I.G. Dorsch. in Penta-Dec. Disp. I, §, 18. p. 40.* Ne qvid de ὑποτυπώσει su-  
norum verborum tanto pere nobis commendata, qvidquam adjiciam.  
§. XXI. Qvae §. 9. de religionum varietate afferunt, suo loco relinqvi-  
mus, dummodo concedatur nobis religionem esse rationem colendi  
*Deum, fidem in Christum & charitatem erga Deum & proximum.* Qvod i-  
psum cum *uni soli Christianæ religioni*, eidemque pure ac verbo Dei per  
omnia conformi, convenient, patet ceteras *īpsoūμας* sic dicti nec de ve-  
ra religione qvicquam præter nomen participare. Cumqve præterea  
illam, qvæ *Lutherana* dicitur, & libris Ecclesiarum nostrarum Symboli-  
cis continetur, ab omni errore immunem esse in doctrina & Sacramen-  
tis

tis persuasissimum habeamus, ferre non possumus, eandem cum hic tum alias perinde ut ceteras ἀνύπως tales, in sectarum gregem, censumque rejici. Deprecatus hoc nominis *Paulus* fuit, quando *de Christiana religione* agebatur, qvod sua & *Scripturae* fundamentis incumberet, Fidemque in Deum & charitatem erga proximum inculcaret *Act. XXIV, v. 14. 15. 16.* Qvanquam ipse eadem hac voce *Pharisaeam* insignivit *Act. XXVI, 5.* nempe ob admixtos ei errores fidei & charitati contrarios. Qvapropter ceteras *religiones*, ob exploratos, qvibus sunt obnoxii, errores, *Sectas & hereses* jure suo vocamus: A nostra vero ob *perpetuum*, qvem præstat, cum *scriptura* consensem, hoc nominis removemus, non ante id admissuri, qvam eam nihilo ceteris meliorem esse fuerit comprobatum.

**S. XXII.** Sic evolutis vocabulis, qvid in applicatione §. II. ad institutum facta desiderari possit, facile est cognitu. Contendit qvidem nihil a se sententiæque sua sociis, Christianæ religione imminere periculi, qvum solam *intellectualem fidem* indifferentem esse existimet minime autem fidem *veram* atque *in corde* sitam, utpote qvam urgeat ipse, ceu fundamentum totius Christianismi, multisqve rationibus inculcat. Sed falsus primo est qvod totus Christianismus *sola cordis fide*, siue *cognitione intellectuali*, & *uberiore notitia*, absolvatur, ut supra docuimus. Impium præterea, & blasphemum est, qvod subnedit: si qvidem eodem, quo *cerebrina*, loco habeatur fides, qvæ est *in corde*, Christianam inter religionem, & Turcicam ac Judaicam nihil fore discriminis: Solchermassen wurde aus dem Christenthumb/ Judenthumb und Mahometischen Glauben ein Kuchen gemacht/ vor welchen der Christen-Glaube NB.nichts voraus hätte. Notitiam enim ex verbo Dei haußtum, & ad salutem ~~superstitionem~~ <sup>salutem</sup>, & *superstitionem*, *superstitionibus* blasphemisqve Turcorum, & Gentilium sententius nihilo meliorrem putare qvanta indignitas! Orthodoxi autem dum tacite illa onerantur calumnia qvæsi in sola intellectuali acqvisierent fide, hoc ipso nihilo meliores Judæis & gentilibus statuuntur.

**S. XXIII.** Nos ex hacenus disputatis elicimus, cum fides & *Objective* & *subjective* sumpta concurredit ad salutem, speciatimqve non solum *fiducia* in corde, sed etiam *notitia* in mente ac intellectu sit necessaria salvando, eademqve non *tenuis* & *confusa*, sed *überior* & *solida*; qvam tamen homines, pro sua quisqve religione, vel *negligunt* omnino vel graviter saltē lèdent, falsum esse, qvod sibi demonstrandum *adversarius* sumpsit, qvemlibet in qualibet religione salvari posse. De reliquis alias, propitio *Numine*, exponemus.

AB:153151



TA→OC

H.C. 73





Quod Deus bene vertere jubeat! 29.a

DISPUTATIO I.

qua

INDIFFERENTISMUM  
RELIGIONUM

ab  
Erico Friedlibio, Jcto  
impie defensum

In celeberrima Wittenbergensi Academia  
ad purum Dei verbum examinant,  
juxta & improbant

PRAESES  
GOTTLIEB WERNSDORFIUS,  
S. Theol. D. & P.P. Extraord. Collegiique

Philos. Adj.

&  
RESPONDENS

SAMUEL BORNING,

Dorpat - Livonus,

d. VII. Jan. MDCCL.

---

VITEMBERGAE,  
Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typogr.

